



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Escvlano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

vastarat, deportans ibidem inventa pro libito violenter, & alterum feodum occupans minus iuste, licet dictus Episcopus de suis hominibus nunquam sibi debitam iustitiam denegasset. Propter quod & domum reedificari destructam cum ablato- rum restitutione ac feodum taliter occupa- rum sibi ab eodem restitui cum instantia postulabat. Sed ad hæc ex parte ipsius responsum fuit taliter ex adverso, quod non debebat super his coram ipsis iudicibus liti- gare, pro eo quod si quid in ipsis vel de ipsis feodis fecerat, pretextu castellanæ de Merevilla potuit fecisse licenter, & id tanto tempore obtinuerat quod non extra- bat memoria aliter esse factum. Proposuit insuper quod ipsam castellaniam de feodo regio possidebat, & tale jus erat castella- niæ ipsius quod si quis infra ejsdem metas homicidium perpetraret, Dominus Mere- villa in homicidam exercens publicam ul- tionem, non tantum bona ipsius capere, verum etiam suas potest possessiones posi- tas infra metas dictæ castellanæ diripere, sive in feodum sive modo alio illas a quo- cunque teneat homicida, & id sibi etiam licet illi facere vel inferre qui dicto Domi- no castri Merevilla debitam custodiam de- negaret. Propter quæ si domum vastave- rat memoratam, sibi vendicatis bonis, in homicidam, cuius erat ipsa, vindictam pu- blicam exequendo, & de feodo alio, pro eo quod ipsi debita dicti castri custodia negabatur, se posuit in saisinam, nullam ob hoc dicto Episcopo injuriam irrogabat, immo in his utebatur potius jure suo, præ- fertim cum in præsentia dicti Regis de feo- do ipso dicto Episcopo iustitiæ plenitudi- nem obtulerit se facturum, & ipsum Re- gem asseruerit inhibuisse sibi ratione domi- nij viva voce ne de præmissis feodo spe- ctante ad ipsum non nisi coram eo alicui responderet, exhibens litteras ejsdem Re- gis monitorias iudicibus memoratis ut præ- fato superfederent negotio, quia paratus erat eidem Episcopo super feodo iustitiam exhibere, sed causam ipsam ad eundem Regem remitterent audiendam. Sed ipsi iudices, non contestata lite, ipsius Came- rarij exceptiones hujusmodi minimè admit- tentes, terram suam sub interdicti senten- tia posuerunt. propter quod gravamen idem Camerarius verebatur ne adversus eum præsumerent graviora. Quocirca dis- cretioni vestræ per apostolica scripta man- damus quatinus si vobis constiterit cog- nitionem & decisionem ipsius negotij, non ad ecclesiasticum, sed ad secularem judi-

cem pertinere, ipsumque Camerarium pa- ratum fuisse hoc in delegatorum præsentia comprobare, vos interdicti sententiam prolatam ab eis in terram ipsius faciatis sublato appellationis obstaculo non serva- ri. Nullis litteris veritati & iustitiæ præju- dicantibus à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes his exequendis potue- ritis interesse, duo vestrum ea &c. Datum Laterani xvi. Kal. Decembris, pontifica- tus nostri anno quartodecimo.

*EPISCOPO ESCVLANO.*

**S**icut te accepimus referente, cum ve- nerabilis frater noster Episcopus Hof- tiensis olim per tuam transiens civitatem tibi dederit in mandatis ut Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quos ibidem invenit passim tabellionatus officium exer- centes, excommunicationis vinculo inno- dares & eos qui ab illis publica reciperent instrumenta, tu licet id feceris, ex manda- to tamen Episcopi dicti dissimulasti post- modum de Subdiaconis donec qualiter contra ipsos & alios in sacris ordinibus con- stitutos deberes procedere sedem duceres apostolicam consulendam. Quocirca frater- nitati tuæ per apostolica scripta man- damus quatinus Clericis in sacris ordini- bus constitutis tabellionatus officium per beneficiorum suorum subtractionem appel- latione postposita interdicas. Datum Late- rani vi. Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*ALBANENSI ELECTO  
apostolicæ sedis Legato.*

**A**d audientiam nostram te significan- te pervenit quod licet quamplures Ecclesiæ Lombardiæ certum numerum ha- beant præbendarum, illarum tamen Ca- nonici dictum numerum excedentes, pie- runque ad unam præbendam plures de suis eligunt consanguineis & amicis: qui cum sint juvenes & insufficientes ad obsequium earundem, & nolint vel forte non debeant ad superiores ordines promoveri, contingit ibidem propter eorum schismata ido- nearum personarum interesse defectum, & maxime sacerdotum. Quare in spiritualibus & temporalibus non modicum sustinent detrimentum. Vnde nobis humiliter supplicasti ut certo numero non obstante, dictas Ecclesias de personis idoneis, quæ velint & possint onus hujusmodi sustinere, tibi liceat ordinare. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus qua- tinus si quos inveneris in ipsis idoneos ad